



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

2. Ad quam virtutem spectet correctio fraterna? Ex p. 7. r. 3. r. 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

eius spirituales; nulla enim maior miseria excogitari potest, quam peccatum, quod eum priuat spirituali, & aeterna beatitudine, & reddit eum Dei inimicum, & reum aeterni supplicij. Quare si erogare stipem indigenti est actus honestus, & virtutis, quo pellitur famas corporalis, potiori iure erit correctio fraternalis, qua peccatum expellitur ab anima. Vnde recte Aristot. 9. Ethicor. cap. 9. inquit, Pravam amicum corrigendum esse, ac magis iuuandum in moribus, quam in pecuniis, dissoluendamque amicitiam, si negligat correctionem.

RESOL. II.

Ad quam virtutem spectet Correctio Fraternalis? Ex p. 7. r. 3. Res. 2.

§. 1. **L**atè de hac materia agit Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. dub. 6. q. 1. Hurtadus de Mendoza de fide vol. 2. disp. 162. sect. 3. per totam, Coninch de Charitate disp. 28. dub. 2. num. 12. & seq. Caspensis in Cursu Theolog. tom. 2. tract. 17. disp. 6. sect. 1. num. 2. vbi sic ait. Dubitant recentiores ad quam virtutem spectet actus correctionis? Nonnulli volunt non pertinere ad specialem virtutem, sed ad diuersas, pro vt peccatum corrigendum diuersis virtutibus repugnat, quia qualibet virtus nos inclinat non solum in nobis eius honestatem conservare, & contraria fugere, sed etiam in aliis. Hoc tamen nullam probabilitatem habet, inde enim sequeretur, eum qui cum facile possit non corrumpi furem, peccare contra iustitiam, & teneri ad restitutionem, & qui luxuriantem non impedit, peccare contra honestatem, quod est absurdum. Agidius disp. 28. dub. 2. censet, obligationem corrigendi proximum oriri proprie ex charitate Dei, & proximis, quia sicut charitas Dei & proximi nos obligat vt data occasione virtutis bonum procuremus; ita nos obligat vt impediamus ea quae ipsi grauitur aduersantur: at peccatum mortale tam Deo, quam proximo grauitur aduersatur; ergo charitas nos obligat vt illud impediamus, quod fit per correctionem fraternalem. Nihilominus dicendum est correctionem esse actum misericordiae, & charitatis, iuxta motum à quo oritur: si enim ex amore Dei & desiderio, quo quis vult Deum non ostendi, corripiat proximum, tunc correctio imperatiue procedit à charitate; si verò ex voluntate subleuandi illum à miseria; tunc operatur actum misericordiae. Et ex his colligitur quid proprie sit correctio fraternalis. Est enim actus, seu opus, quo quis subuenit necessitati spirituali proximi; nitens eum à peccati malo liberare, per conuenientem aliquem & idoneum ad id sermonem. Hucque Caspensis,

2. Sed quid sit de hac quaestione pro Praxi est omnino certum, & indubitatum ad satisfactionem huius praeccepti non requiri necessarid correctionem fieri ex hoc, vel illo motu charitatis, vel misericordiae. Nam etiam si ex malo motu id facias, satisficere potes praeccepto correctionis, sicuti satisficeres ieiunij praeccepto, vel Missae audiendae, vel eleemosynae erogandae, etiam si ex prauo fine ieiunares; Missam audires, vel eleemosynam tribueres. E ratio omnium est, quia haec praeccepta non sunt de actibus virtutis residentibus in voluntate, sed de actibus extremis misericordiae, temperantiae, vel religionis, qui integri esse possunt, etiam si à voluntate deprauentur. Et ita docet Palaus tom. 1. r. 6. disp. 3. punct. 1. num. 8. & Franc. del Castillo in 3. sentent. tom. 2. disp. 6. de Correct. quast. 2. num. 8.

Tom. VII.

RESOL. III.

An detur praecceptum de Correctione Fraternali? Ex p. 7. r. 3. Res. 3.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue, & vt hoc clarius fiat suppono. Primò, correctionem fraternalem esse vnum ex septem operibus misericordiae spiritualis, quae hoc versu continentur.

Consule, castiga, solare, remitte, ser, ora.

Suppono secundò ex S. Thoma 2. 2. quast. 33. art. 1. correctionem delinquentis esse quoddam remedium, quod debet adhiberi contra peccatum alicuius; peccatum autem dupliciter considerari; Primò, in quantum nocet ei qui peccat. Secundò, in quantum vergit in nocumentum aliorum, adeoque duplicem esse correctionem, aliam qua remedium adhibetur peccato priori modo spectato, quae dicitur correctio fraternalis; estque actus charitatis, cuius est procurare bonum, & auertere malum proximi. Aliam, quae adhibet remedium peccato delinquentis posteriori modo spectato, qua ratione est actus iustitiae vnius ad alterum. Quia tamen supra distinximus misericordiam à charitate, dicendum est correctionem fraternalem esse à misericordia elicitiue, & à charitate imperatiue, vt etiam indicat S. Doctor responsione ad 2.

2. His positis, quòd fraternalis correctio aliquando sit in praeccepto, tradit S. Thomas art. 2. & patet tum ex verbis illis Eccl. 19. Corripe amicum, ne forte non intellexerit, & dicat non feci, aut si fecerit, ne iterum addat facere. Corripe proximum, ne forte, non dixerit, & si dixerit, ne forte iteret. Quibus ex nouo Testamento addi potest illud Matth. 18. Si peccaueris in te (id est, te sciente, vt interpretis communiter explicant) frater tuus, corripe illum, &c. tum quia cum ex praeccepto charitatis, aut misericordiae tenemur subleuare miseriam corporalem proximi, à fortiori tenemur miseriam illius spiritualement tollere, vel impedire; at peccatum est summa miseria spiritualis, & correctio est interdum necessaria ad illud impediendum, quare tunc correctio ex graui praeccepto tam naturali, quam diuino adhiberi debet. Et ita docent communiter Doctores, & nouissimè Franciscus de Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correctione fraternali, quast. 2. vbi contra Hurtadum probat praecceptum correctionis esse spirituale, quod etiam docet Turrianus in 2. 2. tom. 1. disp. 86. dub. 1.

RESOL. IV.

An hoc praecceptum obliget sub mortali? Et notatur, quod quamuis omissio Correctionis de mortalibus ex genere mortalis sit, potest fieri venialis ex imperfessione actus, & posse aliquando omitteri. Ex part. septima, tract. 103. Resol. 4.

§. 1. **R**espondeo affirmatiue, per se loquendo, nam praecceptum eleemosynae obligat sub mortali, quatenus proximus est in extrema, vel graui necessitate. Ergo similiter sub mortali tenemur ei per correctionem subuenire, si est in graui necessitate spirituali. Et ita docet Coninch disp. 28. dub. 2. num. 14. Franciscus del Castillo in 3. sent. tom. 2. disp. 6. de Correctione, q. 5. n. 2. Trullench in Decalog. tom. 1. lib. 1. c. 5. dubio 1. r. 2. & Valentia tom. 3. disp. 3. quast. 10. punct. 2. vbi doctè probat adesse praecceptum de corrigendo proximum qualitercumque peccantem, Ar 2. siue